



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Prophetia Apocalyptica S. Joannis Apostoli**

**Kircher, Heinrich**

**Coloniæ Agrippinæ, 1676**

§. I. Epistola septima.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39100**

deas. (v. 19.) Ego quos amo, arguo, & castigo. Emulare ergo, & pœnitentiam age. (v. 20.) Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. (v. 21.) Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus. (v. 22.) Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

## S. I.

## Epistola septima.

Paraphrasis  
Epistolæ  
septimæ.

Pars prima.

Pars secunda.

1. **A**D Episcopum qui est de potestimo genere Episcoporum: *Exordium.* HÆC DICIT AMEN, TESTIS FIDELIS ET VERUS, QUI EST PRINCIPIMUM CREATURÆ DEL. quasi dicat: Hæc dicit Amen, id est is, qui est Veritas, & contestis ipsemet veritatis fidelissimus usque ad mortem, auctor renovationis spiritualis & principium omnis novæ creaturæ quæ sit inter electas DEI.

2. *Narratio.* Annuntio tibi OPERA TUA & teporem, cum sis adscitus inter Spiritu ferventes (Rom. 12, v. 11.) cui optabilius esset frigere prorsus, id est sentire quod esses manifestè impius; fortassis enim per antiperistasin accenderetur in te scintilla reliqua fidei, & gratiâ meâ excitareris ad calorem: jam verò sicut aqua tepida creat ori humano, sic tu mihi nauseam, vomitum, & hortorem. Jamque in statu es desperatiore: nam, ut per servum meum S. Gregorium scribam olim parte tertia curæ Pastoral. cap. 1. admonit. 35. sicut ante teporem frigus sub spe est

(qui adhuc, ait Gregorius, in peccatis est, conversionis fiduciam non amisit:) ita post frigus tepor in desperatione. Quo in statu, quid palpas te quasi aliter LOCUPLETATUM & felicem. nescius triplicis miseræ tuæ (S. Greg. 34. mor. cap. 3.) PAUPER enim es qui non comparas tibi veras divitias, quod est divitem fieri in bonis operibus, 1. Tim. 6. v. 18. ET CÆCUS, quia nec istud quidè agnoscis: ET turpiter NUDUS atq; expositus confusio pro die Judicii & æternitate, quia non habes vestem nuptialem, nedum Episcopalem, tu qui intrasti ut discumbas inter Episcopos! MISER tibimet, com-MISERABILIS autem mihi! SUADEO adversus paupertatem tuam, ut emas A ME AURUM Sapientiæ & initium ejus Timorem Domini qui sit probatissimus tanquam IGNI. age, absque argento tuo & absq; ulla commutatione digna Isai. 55. v. 1. sed tamen eme; pretio quod tibi assigno meritorum meorum (neque enim pretium, ait S. Ambr. l. de Joseph Patriarcha, quaesivit à nobis, qui pro nobis pretium sanguinis,

E 2 nis,

*vis sui solvit.*) deinde adversus nuditatem tuam auctor sum tibi ut recuperes & **INDUARIS VESTIMENTIS ALBIS**, stolâ gratiæ, & charitate quæ operit multitudinem peccatorum 1. Pet. 4. v. 8. Denique in remedium cæcitatæ tuæ, ut assuescas inungere te **COLLYRIO** meditationis novissimorum tuorum, quod est medicamentum contra lippitudinem; quia punget eductis lachrymis & purificabit **OCULOS** mentis, quibus **VIDEAS** periculum in quo versaris & evadas. Porrò sicut **EGO** ferveo amore tui & zelo salutis ex quo te **ARGUO**, **ET** paternè (græcè, πατρῶς) tanquàm filium **CASTIGO**: ita **ÆMULARE** tu quoque & vicissim responde meo amoris: **POENITENTIAM AGE**, incipe: imposterùm autem, quod mo-

net Apostolus meus 1. Theff. 5. v. 15. Spiritum noli extinguere, quod fit dum intepefcis. *Ecce enim per has inspirationes PULSO ad cor; & offero me, intraturum, ad te per amicitiam meam, hospitem tuum: invitoque tanquàm ad epulas sic ad fervorem, ad alacritatem, & lætitiã intimam; cœnaturum unà mecum SI obedieris & APERUERIS, ut es liberi arbitrii, JANUAM cordis parati.*

3. *Epilogus.* Præter minas evomendi, quas initio annuntiaverat, & spem gratiæ, promittit adhuc: *qui vicerit teporem & acediam, faciam eum requiescere à laboribus suis & considerare MECUM IN THRONO MEO, sicut me Pater, post sudorem & partam victoriam, sedere secum fecit & quiescere.*

Pars  
ter-  
tia.

Væ tepido qui non est Amen, id est, verus ac fidelis Ecclesiasticus, aut Præsul: qui cùm ingesserit se in Clerum, contentus locupletatione reddituum Ecclesiasticorum, inidoneus officio aut Prælaturæ demandatæ, velut nautea est in navi Clericorum, & Christo vomitus. De his S. Gregor. Nazianz. apologet. 1. *Aliorum me pudet: illotis ut dici solet manibus, profanisque animis, in sanctissima mysteria sese inferunt, ac, priusquam digni sunt qui ad sacrâ propius accedant, sacrarium ipsum affectant: pietate miseri, dignitatis splendore infelices.* Hæc & plura Nazianzenus. Ex verbis Christi optabile fuit, talem miserum remansisse in numero Laicorum! immò & in horum serie inter frigidos! quibus remissiùs futurum est multò coram Iudice.

## S. II.

*Finalis admonitio in singulis Epistolis: qui habet aurem, audiat &c.*

Sub finem singularum Epistolarum graphicè additur sententia,